

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Rahn

**Henricus Rahne I. D. & Prof. Decanus aeque ac Tota Facultas Iuridica Academiae
Rostochiensis ad Wilhelmi Mellingeri Disputationem Inauguralem die 2. instantis
Mense Septembris habendam, Magnificum Dn. Rectorem ... officiose invitant**

Rostochii: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735205264>

Druck Freier  Zugang



Festlegungen aus bürgerl. + kanon.
Recht

Progr. + Postkarten

R U für 1658
Heinrich Rahme, Baer / d
Wilhelm Mellinger, Rep.
mit Progr.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn735205264/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735205264/phys_0002)

DFG

HENRICUS RAHNE
J. D. & Prof.
DECANUS

TOTA FACULTAS JURIDICA
Academiae Rostochiensis

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

DN. WILHELMI MELLINGERI
DISPUTATIONEM
INAUGURALEM
die 2. instantis Mensis Septembris
habendam,

Magnificum Dn. RECTOREM,
Dnn. Professores, omnes omnium Ordinum Cives Academicos, juxta ac cæteros Literatos & Literatorum Fautores officiosè invitant.

ROSTOCHII,
Typis Hæredum NICOLAI KILLI, Acad. Typ.
ANNO M. DC. LVIII.

1658

Cum innuperis ad soleñem de Jure Emphyteu-
seos Disputationem publicis invitatoriis pri-
ma quasi lineamenta duceremus sceleti & Ma-
teriae de dignitate, quā latē patet, mentio quoq; fiebat
Nobilitatis, tanquam specialiter ita dictæ dignitatis.
Quam quia cum temporis per instituti & pagellarum
rationem attingere non licuit, ne planè præterita vi-
deatur, huc advocabimus, non ut omnem ejus ambi-
tum in basce coarctem⁹ angustias, quod quidem Ilia-
da nuci includere velle foret, sed potissimum, ut eam
Doctoribus quoq;, quorum iniqui plurimi solent es-
se censores, & Doctores ei, surculum arborei, sed bre-
vissimis, vindicem⁹. Quod dum exequimur, ne no-
bis eveniat, quod in fabulā Pictori, (qui cum Leoni
insidentem pinxisset hominem, eumq; Leoni, homi-
nes fortiores esse indigitans, monstrarisset, Leone au-
tem de pictore sciscitante, hominem pinxisse rege-
ret, resonsum tulit, bene id ipsum esse, sed si leones
pingere scirent, picturos etiam ipsos, quod sibi place-
ret,) ita calamum attemperabimus, ne in causā pro-
priā Nobis quicquam dedisse videamur, quod non
aut sacratissimæ leges Imperatoria Nobis dudum de-
derint, aut quivis necessariò largiri cogatur. *Defining*
itaq; *Nobilitatem* (quæ sive quasi non vilis, sive non bi-
lis, sive nobis lis, seu noscibilis dicatur, perinde jam
nobis est) quoad præsentem cōsiderationem univer-
salē, quod sit dignitas specialis, quā quis legitimè
plebeia conditione exceptus per gradus evexitur.

Quæ

Quæ definitio, ut eò patet scat magis, lustranda paucis,
comodâq; interpretatione juvanda est. Elle a. Nobili-
tatem nostram, dignitatem specialem, id superius evi-
ctū jam est, cum non, ceu Lāus, Honor, bona fama &c.
cui vis etiam ē plebe, & qui in statu plebeiorum porrò
maneat, tribui à quovis etiam plebejo possit; sed cer-
tis tantùm conferatur personis, quæ eo ipso, dum No-
biles esse jubentur, ē viliori statu in eminentiorem e-
vehuntur & à plebe separantur; Idq; (ut ad causas ac-
cedamus) ab Imperatore potissimum, aut cui iste hoc
peculiari gratiâ concessit, aliisq; supremis in populo
suo rerū arbitris fiat, necesse est, penes quos cum cæ-
tera Majestatis jura resideat, hoc quoq; radiis suis cæ-
terorum splendorem non parum adauget. Præcipue
autem, si ab Imperatore gratiōsē conferatur, illustris
erit Nobilitas. Cum n. ille, autore Bartolo in l. pen. C. de
bon. quæ lib. tanquam stella matutina in medio nebulæ
meridionalis inter omnes Reges emineat; cum ab il-
lo omnes dignitates tanquam à suo fonte & principio
scaturiant, secundum Gail l. obf. 30 n. 21 ad eumq; rursq;
tanquam rivuli & flumina ad mare, redeant &c. vid.
Jos. Nolden. de Stat. nobilit. c. 2. n. 14. cur non à dignita-
te conferentis censeatur quoq; dignitas collata Nobili-
tatis? Unde & id pote perspicuum est, quod Nobili-
tas, ut Accidens, naturâ non veniat. Fab. de Anan. con-
sil. 8 n. 2. sive quod non nativa, sed dativa sit, Bart. in l. I.
C. de dignit. Omnibus siquidem à quale natura tempe-
ramentū p̄stat. Quod autem Nobilis alius fiat, alius
verò

verò nascatur, & ad posteros quoq; suos eandem di-
ginitatem per imputationē transmittat, id omne à ci-
vili est discretione, & ab eā, quam diximus, potestate,
quæ, ut optimus, ut dignissimus quisq; est, ita nobilis-
simum eum esse vult, ut virtute quis excellit, ut Rem-
publ. variis meritis in pluribus partibus fulcit, ita plu-
rimum ipsi tribuit, ita beatum & honoratum esse cu-
pit. Virtus namq; tam togata, quam militaris, & pro-
pter eam exaltatæ, inq; tempubl. collatæ curæ, mo-
lestiæ, vigiliæ, unica radix & fundamentum Nobilita-
tis sunt, ut, hæc si absint, Nobiles suam nobilitatem,,
tanquam viles in scenâ histriones regiam personam,,
gerant, & detractis, quibus insolescunt, ornamentiis,
humiles protinus abjectiq; plebeiaæ sortis appareant
homunciones, quorum imago dudum à Poetis in as-
no Cumano depicta est, qui Leonis velatus exuviis
terribili fastu reliquis insultabat animalib⁹, donec ob-
scenâ auriū mole proditus, alieni honoris habitu spo-
liaretur, ceu habet *Neuh. in Theatr. ingen. hum. lib. 2. c. 9.*
Sed & accedat, oportet, solennitas quædam aut actus,
qui non tantum nobilitatem in suâ formâ constituat,
sed ex quo etiam data illa intelligi, posteaq; probari
possit; qui sit, cum Princeps vel solennibus verbis,
gladii percussione, permansuri diplomatis concessio-
ne, atq; sic solenni ac evidenti actu, aut expressâ lege,,
vel aliâ tacitè, citra creationem aut diplomatis dona-
tionem, voluntatem suam facto declarat, cum nihil
intersit, suffragio voluntatem suâ patefaciat, an rebus
ipsis

ipsis & factis, l. 32 in fin. n. de legib. imo plus sit, facere, quam pronunciare; re, quam verbis demonstrare, c. cum dilecti. 52. extr. de appell. Nolden. de Stat. Nobil. c. 4. n. 15. 16. Quæ quidem omnia per vocabulum, legitimè, designantur. Finis a. Nobilitatis in eo consistit, ut Virtutem suus maneat honos, sua debita præmia, ut dignitatum serventur gradus & ordines, ut Nobiles familæ conserventur, & sit, in quo à plebis & ignobilibus discernantur. Effectus deniq; maximè claret, cum in Privilegio-rum complurium, immunitatum item, pænarumq; mitigatio-nis fruitione, cum in reverentia & honoris exhibitione, cum quoq; in ejus ad posteros propagatione, quando nimirum, ut in illo transmittatur, cautum est. Quæ omnia à jCtis ac Politicis latius & ex professo tractantur, qui consuli possunt. Nostrum nunc erit, quæ dicta sunt, ad Doctores aptare, ut eos tales verè esse parat. Cum itaq; illis ipsa res competit, nomen utiq; denegari non poterit: Primum n., quod Doctoratus sit Dignitas, & quidem specialis & excellens, id nemo hactenq; in dubium vocare ausus est, & probat ipsa dignitatis descriptio e quæ Br. in l. 1. C. de Dign. est qualitas faciens differre à plebejis. Volunt deinde id ipsum Imperatores (quorum ossibus inhæret, & ad quorum reservata, tāquam regale majus pertinet potestas creandi Doctores, quiq; deinceps eruditorum collegiis mandarunt dona sua vendere benē merentibus, sicut Dii Boni sua laboribus vendunt, Walther. de stat. jurib. & priv. Doct. c. 2. fin.) dum passim in Constitutionibus suis eruditos, legum peritos præfertim, præclarissimis cohonestarunt titulis, vocando eos Nobilissimos, maximum decus, illustres, amicos & parentes suos, viros excellos & honoratos, quibus januam Imperialē semper patere velint, gloriosos item, magnificos, splendidissimos, clarissimos, prudentissimos, inclytæ recordationis, optimæ memoriaz, quæq; hujus generis plura passim à iuste consultis comportata, chartula hæc non capit. Suadet hoc scientiarum, quas Doctores tractant, tum sublimitas, tum necessitas,

necessitas, cum iis non minus in vita humana carere possimus quam aqua & igni, cum utilitas insignis, cum iis, quicquid in Rebuspubl. bene posatum & constitutum reperitur, acceptum ferendum sit. Ut namq; bene sit animae, id peragunt Doctores Theologi: ut bene fortunis hominum, Jcti: ut Corpori, faciunt Medici. Theologi prospiciunt ut bene sit choro & thuri: Jcti, ut bene sit foro & juri: Medici, ut bene sit thoro & ruri. Animae morbis Theologus, animi morbis Ictus, corporis morbis Medicus est salvator. Theolog9, ne religioni, Ictus, ne regioni, justitiae & virtuti, Medicus ne sanitati vis fiat, curat. Et quilibet horum cuilibet pro salute cūsuslibet studet, ut quilibet ex horum quolibet studio salus promanet. Ecquid verò salubrius & magis necessarium bonis his habebitur? Quò ergo majora bona in Republ. promovet, conservat. & utilitati singulorum velificatur, eò majores etiā ipsi Doctores habēdi sunt. Walther. d. Tract. c. 8. §. 39. Et sicut anima præfertur corpori, aurum plumbi, Sol Lunæ, ita nobilitas scientiæ, quæ dicitur animi, præponenda est civili, quia majori encomio dignum est, quod proprio, quam quod alieno labore & industria comparavimus. Loquuntur id insuper ipsa examina & specimina Doctoratum prægressa, dum neminem nisi dignum eò aspirare decet. Manifestant idem requisitæ & adhibitæ in ipso actu solennitates & ceremoniæ: testantur concessæ immunitates & privilegia uberrima, quæ Doctoribus tam quoad personam, res, & actiones competenter integris tribus capitibus enarrata leges apud Walther. d. tractat. C. XV. XVI. XVII. Nolden. d. tr. c. V. th. b. a. num. 130. aliosq; plures. Et, ut cum Job. Jac. Frisch in resolut. Jurid. Quest. &c. p. 237 pleraq; dicenda in compendium referam, meritetur istud immunitatis & Nobilitatis magmentum, tanq; iam certissimum ad studia incitamentum, personarum dignitas, Autb. Habita: ibi. dipinarum atq; humanarum &c. Ordinis præminencia, literarum prærogativa, exilium amore scientiæ suscepsum d. Autb. Studiorum reverentia, l. quicquid. C. de Advoc.

Div.

9

dir. jud. ubi Bald. in fin. patrimonii, valetudinis & virium exinanitio & atra-
nuatio, d. Auth. ibi facti de diritisibus pauperes. Scientiae nostræ, quæ totus illuminat
mundus, honor & decus. d. Auth. Confirmant id deniq; ipsorum Nobili-
um seniorum aliarumq; illustrium personarum testimonia clarissima, quorum
plurimi, tantum abest ut Doctoratum è Catalogo Nobilitatis proscripterint,
ut potius eum statui suo eximium decus & splendorem majorem addere posse
firmiter crediderint, dum in omni facultate, Doctorali tiara non pauci se redi-
miri experiverunt, quorum syllabus C. XXIII. d. sui tract. à p. 505. ad 530. inseruit
Georg. Christoph. Walther. Et notabile inter alia est Exemplum Joachimi Myn-
singeri, Jcti, qui ex veteri Helvericâ nobilitate oriundus, sed inde cum aliis an-
tiquis familiis post Leopoldi Austriaci cladem ejectus, cum animadverteret,
axori ingratum accidere, si quis ipsum Doctorem, vel Cancellarium appella-
ret, gratissimo animo non solum titulos istos audivisse, sed & prudenter dixi-
se fertur, Nobilem Equitem à Doctore esse servatum & quasi postliminio re-
ductum, Nold. d. tract. c. V. n. 168 simile quid refert Melch. Adami in Vita Doctorum
p. 130. de Sigismundo Barone Herbersteinio. Quæ quamvis ita se habeant,
longe q; plura tamen exempla quæ testimonia & rationes produci possint, qui-
bus nostra sententia non tantum roboretur, sed & insuper probetur, Doctorem
Nobili & Militi merito præferri, omnibus tamen istis, sed ingeniose magis
quam vere, se se p̄æ alii opponit Nobilissimus Conradus ab Einsidel in Tr. de
Regal. cap. 9. num. 140. putans (1) quod, quia Doctores & Nobiles nomine
differunt, inter se quoque non convenient, præsertim eum & Nobiles Docto-
ris gradum alias accipere nequeant, nec Doctores ab Imperatore speciale
nobilitatis concessionem petere op̄ habeant, cum, quod prius quis habet, ite-
rum ei tribui supervacaneum sic. (2) cum Nobilitandi potestas sit so-
lius Imperatoris, Doctores vero à Collegiis literatorum saltē creentur, (3)
cum omnis Nobilitas sit transitoria ad Heredes descendentes, Doctoratus ve-
ro non sit transitorius, & (4) cum consuetudo in contrarium sit, sequi, Docto-
res non esse Nobiles. Sed cum hæc argumenta à propugnatoribus nostræ sen-
tentiae jam ante contusa & confutata sint, non opus est ut nos circa ea de-
cineamus; potest tamen hic quoq; breviter ad singulare responderi. Ad primum
quidem, tum, quod stante hoc arguento, nec Comites Palatini, nec Equites
Aurati, nec Principes, nec Comites, nec Barones, nobiles dici possint, quod ta-
men admittere, prædorum, imo iniquum & absurdum fore; tum, quod vox
Nobilitatis accipiatur vel generice, prout omnes à plebeia conditione exem-
tos denotat, ut sunt Imperator, & modo dicti omnes; vel specialiter, prout
quidam in specie id nominis retinent: secundum illam acceptionem dicitur,

Doctores

Doctores esse nobiles, secundum hanc non. Ein Doctor ist Edel aber kein Edel-mann. Linneus lib. 8. de Jur. publ. c. 8 n. 104, 105. Ad secundum, quod Imperator per alios possit nobilitare, l. i. §. 6. vers. omnia. C. de V. J. E. Ad tertium, non necesse esse, omnem nobilitatem transire ad heredes, exemplo Comitum Palatiorum, Equitum Auratorum, Militiae Officialium &c. Ad quartum, consuetudinem separare Doctores tantum à Nobilibus in specie insimilata dictis, accensere nihilominus veris Nobilibus, & admittere eos ad nobilissimas quasque dignitates & officia. Cæterum, modernus noster Candidatus, Dominus WILHELMUS MELLINGER, Beidenbostello-Cellenfis, cum se à primâ juventute usque huc bonarum literarum studiis mancipasset, eorumque tum in patriâ Cellensi Scholâ, tum illustri Juliâ, quam Anno M. DC. LII. Mense Mat-tio adire cœpit, complura specimina edidisset, inque hac in Philosophicis JO-HANNE à FELDEN, in Jure vero Cl. HAHNIO, WERNERO, & BINNIO, Dd. & Professoribus celeberrimis, informatoribus & Hodegetis per aliquot annos usus esset, posteaq; ut spei, quam de ipso Vir Magnificus DN. HENRI-CUS LANGERBECK, Jctus & Orator eximus, Aulæq; Cellensis Cancellerius dignissimus, conceperat, satisfaceret, & vestigiis Clarissimorum Mellin-gerorum, Majorum suorum, ulterius insisteret, ad celebrem nostram Varnia-cam accessisset, hicq; biennii spatio, tam meo, Decani, quam Viri Consultis-imi DN. REDEKERI ductu legum volumina fideliter evolvisset, difficultates explicasset, & superasset, seq; nuper judicio Ordinis nostri, secundum l. 7. C. de Profess & Med probandum dedisset, & sic eruditum ostendisset, ut ipsem, quam Imperator Sult. proæm. Instit. requirit, pulcherrimâ, brevi impleturus sit; quare permisimus ipsi porro SOLENNES THESES tabulæ publicæ affigere, deq; iis è cathedrâ ad impetranda Doctorum Jura & Privilegia, de quibus modo præfa-tis sumus, respondere. Quod cum in diem 2. Septembribus futurum sit, pera-manter & officiose rogamus Magnificum Dn. Rectorem, inclitos Professo-res, cæterosq; omnium Facultatum Doctores, Licentiatos, plur. Reverendum Ministerium, scientiarum Magistros, variorum Ordinum Literatos ac Cives Academicos reliquos, literatum item Fautores & Sectatores quoslibet, ut le solito more sistant, placide, quibus id commodum, cum DN. CANDIDATO conferant, brevi temporis usuram & vacivas aurum ædes commodent, deq; eruditione DN. CANDIDATI æquum perhibeant testimonium. Quisque pro favore & officio præstito experietur nos, sibi gratissimos, & memoria beneficiorum nunquam oblitterabitur. V.

P. P. sub Sigillo nostræ Facultatis, die XXII. Aug.
ANNO cœlo cLVIII.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn735205264/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735205264/phys_0011)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn735205264/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735205264/phys_0012)



LIV.

Neglecta Welenbetij opinione
dimus: extraneum possessorem in
ctioni hypothecariæ præscribere, i
pr. f d. usuc. immobili, tempore 3
autem, non nisi 40. anno, l. 7. pr.
40. ann.

LV.

Duos testes, regulariter, nisi
requirat, sufficere in quovis actu, d
jus affirmat, Deut. 17. v. 6. Matth 1
cap 4. § 23. Extr. Eod.

LVI.

Regulæ juris, quod ignorantia
cuserit, l. 9. ff. de jur. & fact. ignor. eli
tum ac certum, l. 2. d. t. dum auto
culpâ non caret, & facit contra le
tur minimè in his potest quære re
ditionis stulti, quam perit. l. 4. ff.


LVII.

Et, quia regula est, per se imp
quia est universalis & conting
ter concepta, in materia conting

LIX.

Concubinam habere & canon
mittitur, dist 34. c. 4. § 5. neq; obli
verba concubinas vobis habere
ad plures concubinas, quas hab

A 3



li jure per
st. c. 6. in quo
referuntur
prohibet.
Liberos

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.